QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS, MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM.

DIE IOVIS SECVNDA MARTII.

M. CLAVDIO DE POIS Doctore Medico, moderatore.

An alimentum, corpus, animum mutet?




NIMÆ vis quâ sentimus, mouemur, & intelligimus, sicut naturæ facultas omnis, vtitur corpore. At illud multis subijcitur mutationibus, nec tantum ab aërè grassantes affectus patitur, à regione gentilitios morbos contrahit, à situ efferatur aut mitescit, à perturbationibus incandescit, extabescit, à motu & quiete aliàs exoluitur, aliàs opprimitur: Verum etiam ab alimentis affici solet, eóque magis grauari, quo illa cum ingesta sunt, minùs superantur. Qui locustas esitant expedito forent animo, nisi emergentibus ex altâ carne dracunculis, breui sed luctuoso viuendi spatio conciderent.



TTINET ad succos ex alimentis progenitos, vt suo ad particulas appulsu, earum temperiem sensim immutent. Ex sanguine pituitoso, & glutinoso, media inter sanguineam & exanguem caro existit: Persicæ, à natali solo in Ægyptum translatæ fructus, tetram veneni qualitatem exuunt. Inde etiam vt suauis membrorum color efflorescit, sic indecorus diffunditur, qualis est leucæ, icteri, tamque nocti & morti similis dirus ille λεοντὶϛ πάθεος, quam homini calamitosus est, cum iam ex toto corpore pili decidunt, tum artus ipsos scabrities, & penitior pruritus absumit.



ATVRA nullam vim immortalitatis alimento inseuit, quin vnius primarij beneficentiam fœdo multorum interitu compensauit. Quæcumque substantia coctionibus elaborata, partibus apponi, atque in eas demutari potest, alimentum vocatur. Habes cur illud dulcedinis & amaroris gratiâ expetitum, cur excrementitium per inediam vtile, cur familiare & noxium putes. Animus ab esu fabarum, aut erucæ, bellum, nullo dæmone admouente faces, sibi cum amoribus susceptum esse sentit, cum tamen post assumpta viticis folia castitatis studium, & intelligentiæ acumina, quasi seuocatus experiatur.



EX abstinentiæ homini coæua magni semper fuit momenti, vt ex eius commodo quam plurimis sit quæsita salus. Verum quidem est per eam graues ægritudinum casus, epilepticos, apoplecticos, pestis atrocitatem vitari, animi functiones exsplendescere, prohiberi ne hominum exta celeriùs consenescant. Vnde Petronæ imprudentia obfuit ægris, qui vel symptomatum feritate, vel morbi difficili iudicatione, vel morte pœnas luerint. Tantò quoque iniquiùs creditum est, lepram, psoram, impetiginem, & id genus fœditates, olim Christianorum oligositiæ falsò tributas, ab his in cæteros turpi contagione dimanasse.



NIMVS quamuis immortalis est, tamen corporis colluuie sæpe obscuratur, eiusdem puritate acuitur, illustratur: in vtramque partem magna est alimentorum vis. Inter viros & ὠμογέροντας, qui meracius bibunt, si modo generosa acceperint principia, & laboriosam vitam sustineant, nihil læduntur, imò, subtiliùs cogitant. (An veritati proximum est animam augeri, accendi, commori, superesse?) Seniores vini haustu blandè, adolescentes periculosè calent, vt hi facilè insaniant, aut furiosoq habitu cauendi sint, illi curas deponant & acerbitatem morum temperent. Plenior creophagia vt vigili comate sensum exercet, sic dementiam parit. Præassatæ & porcinæ crudiores cholerica mouent. Frigidiore diætâ mens hebescit, siræo epoto implacidiùs agitatur. Orizæ copia superstitionem, ἀγγοφαγία diuinos affectus inducit. Nulla est humorum, spirituum, particularum temperies, quæ alimenti facultate non immutetur.

Ergo alimentum, corpus, animum mutat.

Proponebat Lutetiæ PETRVS LEGIER Borbonius, Anno R. S. H. M. DC. XXXIV.